



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 105. An expositii, quorum parentes ignorantur, censi debeat
legitimi, adeoque sint capaces Beneficiorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

§. XV. Hic obiter notandum est cum Strick. §. 765
 §. illegitimos etiam per hoc discerni, quod non
 utantur insignibus patris, nisi baculo seu barrâ
 interjectâ, quæ incipiat à sinistris & desinat in imum
 latus dextrum, quia sunt filii quasi sinistræ; E con-
 trà pro legitimis, à dextris desinit in sinistram.

Quomodo omnes illegitimi legitimentur, si in
 aliqua Religione emittant vota substantialia, dictum
 est n. 8., ubi circa hos plura videri possunt.

Q. 105. An exposititii, quorum parentes igno- 766
 rantur, censerî debeant legitimi, adeoque sint capa-
 ces beneficiorum. R. Negant Covarr. Vgol. Majol.
 Suar. Vasq. Rebel. Garc. Tond. Corr. Paxiord., quia
 saepe sunt illegitimi, præsumptio autem sumitur
 ex his, quæ frequenter contingunt: E contrà affir-
 mant Grat. Felin. Bermand. Paleot. Rodriq. Me-
 noch. Mascard. Salas, Barb. Peyr. Paff. Diana, Ca-
 strop. Pontius, Leur. p. 1. q. 265. de quo etiam habet
 p. 3. q. 521. quia etiam saepe exponuntur legitimi ob
 paupertatem parentû vel alias causas, in dubio autem
 facienda est interpretatio in meliorem partem & in
 favorem prolis, arg. Cap. Ex tenore, Qui filii sunt le-
 git. Et quando est præsumptio contra præsumptio-
 nem, illa debet prævalere, quæ continet favorem &
 excludit delictum, cum delicta non præsumantur:
 denique quia in dubio, an quis sit legitimus an ille-
 gitimus, censerî debet legitimus, secundum dicta
 n. 754.

Q. 106. Quid notandum sit circa conjugatum, 767
 bigamum, servum. R. Seqq.

§. I. Quamvis aliqui dicant Clericum conjuga-
 tum in Ecclesia latina esse ex dispensatione Episcopi
 capacem beneficij simplicis, quia id videtur suppo-
 ni Cap. Ioannes, de Cler. & conjug., tamen tenen-
 dum est oppositum cum Sanch. de matr. l. 7. d. 42.

n. 18. 9